



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

1. Dies Septembris. Non homo præstat Deo beneficium in his, quæ dederit; sed Deus in his, quæ acceperit. Salvianus ad Eccles. I. 1.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

QUOTIDIANA
CHRISTIANI MILITIS
TESSERA.
PARS TERTIA.

I. DIES SEPTEMBRIS.

Non homo præstat Deo beneficium in his, quæ dederit; sed Deus in his, quæ acceperit. *Salviannus ad Eccles. l. I.*

Pietas.

I.



Pietas, est virtus una, & multiplex, utpotè, quæ se latè explicat ad virtutes non modò multas, sed omnes. Nos hîc ergò

pietatem consideramus, quâ cultum Deo debitum actibus Fidei, Spei, Charitatis, aliarumque virtutum exhibere contendimus. In his potissimum elucet germana Pietatis indoles; ut Divinis submittat humana; terrenis præferat cœlestia; fluxis proponat æterna: ut Deo offerat non tantum omnia sua, sed totum se. Scitè enim Gregorius Nazianzenus: (a) *Deo, qui omnia creavit, à quo omnia, & in quem omnia, nullum satis dignum munus offerri potest; non modò, si unus hominis opes in eam rem impendantur, sed neque, si omnibus omnium hominum opibus & operibus in*

Pars III.

Xx

unum

(a) Orat. 32.

unum cumulatis, eum honorare quispiam vellet. Si dubitas? ratio, quam adfert Salvianus, convincet esse verum.
 (a) Quia etiam, quod homo habet, Dei, ac Domini sui munus est; ac per hoc, in his, quae offeruntur ab homine, homo non suum reddit, ac Dominus suum recipit. Itaque cum offert quispiam facultates suas, non offerat quasi presumptione donantis, sed quasi humilitate solventis: non absolvere peccata sua credat, sed allevare; nec offerat cum redemptionis fiducia, sed cum supplicantis officio; neque quasi totum debitum reddere, sed quasi, vel parum de magno reddere cupiens. Quia etsi tradat, quod habet, pro modo rerum non reddit, quod debet pro magnitudine peccatorum. Sed dicet aliquis: Totum ergo, oblaturus es Deo, quod habet? Non offerat totum, quod habet? si non putat se debere totum, quod habet.

II. Pius, non tantum se, & sua Deo tradit; sed & soli Deo vivit. Sicut uniones, tametsi in mari nascuntur; tamen plus habent cognationis cum caelo, cuius faciem reddunt: ita pius, & generosus animus, magis à caelo pendet, unde originem ducit; & à Deo, unde venit; quam à terrâ, in qua vivit. Itaque, sicuti heliotropium ad solem; sic anima pia convertitur perpetuo ad Deum solum; eumque respicit, ut suum solem. Neque longius à nobis procedendum est, ut intueri eum possimus; cum nobis semper adsit, imò nostris intersit, quin etiam insit. Est quippe, non tantum nobis à latere, sed in corpore; non tantum nobis est proximus, sed intimus: (b) In ipso enim vivimus, movemur, & sumus. Quocumque igitur remota moveris; quemcunque vitae actum exerceas; quocumque in corporis situ, vel animi statu consistas; si non vivis,

(a) Ad Eccles., l. 1. (b) Actor. 17.

Septemb.

Tessera

691

vivis, si non moveris, si non existis, nisi prolixius in Deo; nonne in omnibus illum potes respicere? Et ad quem potius converteres oculos, quam ad illum, qui te diligit, ut pupillam oculi? Circa quem libentius occupaberis, quam circa illum, qui te totum occupat? & dum occupat, totum satiat. Quis, vel quid te satiat inter omnia, quam qui omnibus est omnia Deus? Utinam tibi olim morituro, possint illa esse postrema verba, quæ fuerunt Pachomii! qui exhalaturus ultimum spiritum, hæc protulit ultima verba: *Tu nosti, Domine; quia ex quo suscepi hunc habitum Monachi, nunquam satiatus sum pane, & aqua, vel qualibet creaturâ aliâ, quam fecisti.*

III. Aude igitur, te totum reddere Deo, à quo totum accepisti; imò, qui se totum tibi toti donavit. Dic igitur, plus mente, quam ore: Accipe cor servi tui, in holocaustum gloriæ; sim tibi totus, & in omni tempore, & in omni loco dominationis tuæ, sacrificium laudis; sim totus, hostia Divini tui beneplaciti: hæc tua de me sit victoria, ut ego tuæ voluntatis sim victima. Immolam me totum adorandæ tuæ voluntati; sacrificia me tuæ majori gloriæ, & præcipuo tuo honori. Deinde offero me ad quemlibet statum, in tempore, & æternitate, qui ad majorem gloriam tuam erit; tum mihi diem Dominicum illucescere credens, quando apparebit mihi major gloria Domini mei. Etiam destructio mei placet Domine Jesu; si possit, & debeat esse fundamentum majoris gloriæ tuæ. Aut, si aliud tibi placeat; da, ut spectaculum fiam mundo, & Angelis, & hominibus; tormentorum, quæ reservas in æternum peccatoribus; ut non moriantur, sed convertantur, & vivant; te suum Regem

Xx 2

agnoscent.

agnoscentes, ut sic dilatem fines imperii tui. Sic se totum Deo uni committere, est omnes pietatis in Deum numeros absolvere. Nec facile delinques, si tua omnia Deo delinquas. Intende igitur animum in sequentia metra:

*Si quis salvari vult, perpetuoque beari;
Christo devotum, studeat se tradere totum.*

2. DIES SEPTEMBRIS.

Quid iniquius? quàm velle sibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare majoribus? *August. de Opere Monachor.*

Obedientia. I.

Agnata pietati, est Obedientia; Quisquis enim, in Deum est pius; est propter Deum, cuius obedire promptus. Obedientia hominis ad Deum, est affectio voluntatis conjunctæ Deo. Obedientia hominis ad hominem, est debita reverentia minoris ad majorem. Commoda, quæ gignit obedientia, sunt ut plurima, sic & maxima. In primis, sicut homine domi quiescente, Respublica fert leges, movet arma, præsidet Justitiæ, invigilat consilii sui mysteriis; unde cuivis privato, suis tantum commodis intento, salus, securitas, & felicitas. Sic & Ecclesia, omnibus suis subditis fert leges; & pro eorum incolumitate sancit varia decreta; excogitat diversa, quibus eos ad salutem manuducat, prætidia: quibus, subditi omnes si obediant, illud obtinent, quod soli Deo est singulare, non posse errare. Quantum igitur, est illud beneficium; inter caliginas, quas offundunt animi affectiones; inter errores, quos efficiunt cupiditates; inter ignorantias, in quas mundi